Biedrzychowski Gaspari: Conclusiones theol. ex prima parte D. Thomae de visione Dei.

CONCLVSIONES
EX
Prima Parte D. Thomæ.

SVB AVSPICIIS
Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,
D. HENRICI FIRLEY,
EPISCOPI PLOCENSIS.

PVBLICE
PROPVGNANDÆ
A
F. GASPARO BIEDRZYCHOWSKI FF. Eremitarum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Professo, S. Theologiæ Auditore.

CRACOVIÆ,
Ex Typographia Matthię Andreouiensis,
Anno Domini 1621.

5.



Illustrißimo & Reuerendißimo Dño,

D. HENRICO FIRLEY, DE DąBROWICA.

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Plocensi Domino & Mæcenati amplißimo.

Fr. Gaspar Biedrzychowski FF. Eremit. Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Clari montis Czestochouiensis professus, Salutem & Fælicitatem.

VT primùm à profūdis Prædestinationis Diuinæ latebris emersi, Illustriß. & Reuerendiß. Dñe, in quibus aliquātisper sciendi contemplandiq; studio ductus hæserā: affulsêre mihi illico generis tui, magnarūq; & nobilißimarum virtutum tuarum decora, insolitam quandam lucem spirantia, inq; Religiosum nostrum Ordinem prolixè & citra omnem modum effusa. Ea me non inuitum perpulerunt, vt hunc meum, meum inquam an diuinæ scientiæ fætum, Illustrißimæ Celsitudini Tuæ consecrarem, eóq; Tuam humanitatē ac beneficentiam quam ad maiorem Dei gloriam & Diuæ Virginis Claromontanæ cultum nostris Patribus exhibes, nostram verò in te simul obser-

uantiam minimo licet officii genere testarer. Fætus hic diuinæ scientiæ per se vetus est, nouo tamen à me cõplexu fotus, & in lucem editus, atq; adeo tuo conspectu non omnino indignus. Quare dum hanc meam tenuem satis opellam tibi Antistes Illustrissime porrigo, vehementer cupio, & cum omni animi submissione precor atq; obsecro, vt hoc cuicuimodi donatiuum ad sublimitatis tuæ fastigium commeans, nihil grauescente dextra penates intra tuos adsciscas. Vale Præsul Illustrissime, Deoq; ter pollenti, potenti, Patriæ, Tibi, tuisque viue. Et quem omnes virtute, fama, felicitate, cumulatum suspiciunt, eũ Numen illud supremũ, omnesq; cælites ab omni parte florentissimum in omnem æternitatem conseruent.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

DE VISIONE DEI.

I.

INtellectus creatus, tàm Angelicus quàm humanus, non ſolũ eleuari poteſt, ſed etiã de facto eleuatur in vitâ beata ad viſionem DEI intuitiuam, quam illi poſsibilem eſſe naturalibus rationibus ſatis veriſsimilibus conuincitur. Repugnat Deum videri intuitiuè, per ſpeciem aut ſimilitudinem creatam obiectiuam (quam etiam ſolam negaſſe D. Thomam, & rei ipſius veritas, & rationum S. Doctoris momenta, ſi rectè perpendantur conuincunt) nõ repugnat tamen videri per ſpeciem expreſſam, aut impreſſam, ex quibus illa formaliter, hæc virtualiter, aut efficienter reddat intellectum videntem, exprimatque Deum vt in ſe eſt.

II.

Licet de facto visio Dei intuitiua, ab Angelis & hominibus beatis, absque interuentu vllius speciei impressæ eliciatur, Deo ipso immediatè & proximè per substantiam suam ad eiusmodi visionem ex parte obiecti concurrente; non elicitur tamen sine specie expressa creata, sine qua Deum à creatura videri omnino repugnat. Est porrò hic actus visionis Dei in substantia supernaturalis clarus & euidens, Deum vt in se est repræsentans, vt rectè in scripturâ, Cognitio facie ad faciem appelletur: certissimus & omnino infallibilis, superans in certitudine prima principia & Fidem Diuinam, non quidem quod hæc etiam non excludat omne periculum, vel dubium falsitatis ex parte obiecti, sed quod ille præterea necessitet intellectum excludat que ab eo omnem dubitationem etiam indeliberatam.

III

Est idem visionis Dei actus non solum apprehēsio, sed etiam iudicium quoddam euidens

de Deo eiusq; perfectionibus: formaliter practicum & speculatiuum, principaliùs tamen speculatiuum intimè per seipsum reflexum, ita vt per illud Beatus simul videat Deum & se videre Deum: quantumuis verò remissus sit in Beatis, est tamen ex parte ipsorum necessarius, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium: ita vt non possint illũ pro libertate variare, aut ab eo cessare. In eodem consistit Beatitudo formalis hominis in alterâ vitâ, non quidem quoad integrum statum suum (nam sic Amorem quoque & Fruitionem includit) sed quoad essentiam præcisè sumptam, seu quoad id quod formaliter & in recto dicit. Ab hac visione, etiam præciso amore Dei necessario, beati redduntur Physicè impeccabiles.

IV.

AD videndum Deum intuitiuè, de lege ordinaria indiget intellectus creatus dono aliquo supernaturali habituali, scilicet lumine gloriæ; cuius concursus suppleri posset de potentiâ absolutâ, per auxilium Dei speciale. Hoc porrò lumen gloriæ non requiritur ad visionem

Dei ex parte obiecti, vt coniungat illud potentiæ instar speciei intelligibilis, neque solùm vel principaliter, vt disponat intellectum ad recipiendam Diuinam essentiam, vel visionem eius intuitiuam: non est denique ita necessariū, quasi per ipsum solum effici debeat visio D E I, absque cooperatione vitali immediata intellectus: sed requiritur ad hoc, vt iuuet & confortet intellectum, simulqué cum eodem efficiat visionem.

V.

INtellectus creatus, siue ad visionem Dei concurrat cum lumine gloriæ, siue cum auxilio speciali actuali, non concurrit per potentiam naturalem, sed per obedientialem, indigetque concursu primæ causæ ordinis supernaturalis. Hæc autem Dei visio, nulli substantiæ creatæ secundum se, & seclusis gratuitis Dei donis acceptæ, per absolutam etiam Dei potentiā connaturalis esse potest; eam de facto & de potentia Dei ordinaria, necessario in Beatis sequitur amor Dei, tum amicitiæ, tum concupiscentiæ, necessitate specificationis, & exercitij: Est ve-

rò actus omnino spiritualis; vnde corpus quod post Resurrectionem hominibus beatis accedet, nihilomnino ad eam conferet & nec remissionem intendet, nec intensionem poterit impedire.

VI.

NOn est æqualis in omnibus Beatis visio Dei intuitiua, sed in quibusdam perfectior, quã in aliis; tùm intensiuè tùm extensiuè: hæc verò inæqualitas prouenit non ex maiori vel minori perfectione intellectus, sed moraliter quidem ex inæqualitate meritorum, gratiæ sanctificantis, & status ac muneris Beatorum; Physicè autem & proximè tum ex inæquali intensione luminis gloriæ, tùm ex diuersitate concursus Diuinæ essentiæ per modum obiecti. Remota verò causa, & quasi prima radix huius diuersitatis est voluntas Diuina; quia Deus sicut videtur quando vult, ita & quomodo vult, tùm intensiuè tùm extensiuè. Deum oculis corporeis, vel alia potẽtiâ sensitiuâ videri aut cognosci, vt in se est omninò repugnat.

VII.

PEr absolutam Dei potentiam posset videri intuitiuè Diuina essentia non visis Diuinis Personis; & vna Persona non visis aliis, secundùm proprias earum rationes: imò absolutè loquendo, nec necessarium nec possibile est, vt creaturæ intellectuales videntes Deum intuitiuè, videant distinctè omnia quæ sunt in Deo formaliter, omniaque ipsius prædicata essentialia & attributalia, virtute distincta. De facto tamen omnes ac singuli Beati vident explicitè tres Diuinas Personas, & Relationes quibus mutuo referuntur ac distinguũtur: vident præterea illa saltem omnia Diuina attributa, quæ in via cognoscuntur per fidem, aut ex effectibus naturalibus, aut supernaturalibus: Decreta item & consilia Dei libera, non omnes omnia sed singuli aliqua pro ratione sui status ac beatitudinis.

VIII.

BEati eodem actu, quo vident Deum intuitiuè, vident etiam aliquas creaturas possibi-

les, non solùm concomitanter, sed etiam ita, vt Diuina essentia, tanquam causa creaturas eminenter continens, sit ipsius ratio, & medium easdem cognoscendi: vidět præterea illo eodem actu visionis beatificæ aliquas creaturas, in diuersis temporum differentiis existentes immediatè, siue sine interuentu medij cogniti; absolutè tamen loquendo, non est necessarium, vt à videntibus Deum vlla creatura siue vt possibilis, siue vt existens in particulari videatur.

IX.

PRobabile valdè est, omnes ac singulos beatos, videre in verbo omnia fidei mysteria, quæ in hac vita creduntur, totum præterea vniuersum, eiusq; compositionem & ordinem cum omnibus speciebus rerum, ex quibus constat, vel quæ in ipso factæ fuerunt, in aliqua temporis differentia, pulchritudinem item Patriæ Cælestis, omnes beatorum Angelorum & hominũ ordines, merita, dignitatem, gloriæ mensuram, locum insuper damnatorum eorumque supplicia in æternum duratura. De contingentibus verò ad vtrumlibet, & de actibus liberis viatorum,

ea tantummodo singuli cognoscunt, quæ ad proprium ipsorum statum ac beatitudinē pertinent.

X.

REpugnat Deum à creatura rationali videri comprehensiuè, etiā si quis dicat; ad comprehensionem per se non requiri æqualitatem inter cognitionem & obiectum, in ratione cognoscibilis, sed solùm vt obiectum cognoscatur quantùm cognoscibile est, secundùm omnia quæ in se habet formaliter, & virtute; quanquā hoc autoritate potiùs quàm ratione videatur conuinci. Meritò Deus dicitur ineffabilis siue innominabilis, non quod non possit habere nomen aliquod proprium ac substantiale; sed quia nō potest per vllum nomen etiam à Beatis, vel ab ipso Deo impositum significari comprehensiuè, aut intuitiuè, aut propriè quidditatiuè.

De Prædestinatione & Reprobatione.

XI.

PRædestinatio, quæ est Diuinæ Prouidentiæ pars quodammodo subiectiua, aut potiùs integralis, rectè definitur: Sempiterna in mente Dei destinatio, & efficax præordinatio creaturæ rationalis ad salutem æternam, per certa media infallibiliter consequendam, licet non conueniat Deo ex necessitate simpliciter, sed liberè: est tamen ipsi aliquo modo necessaria; necessitate congruentiæ; & præterea posito quod aliqui homines sint consecuturi vitam æternam, est absolutè necessaria. Ex parte intellectus formaliter consistit in iudicio Diuino, per voluntatem approbato de medijs infallibiliter ducentibus ad vitam æternam: Ex parte verò voluntatis, in decreto dandi media consequendæ gloriæ, & ipsam gloriam: potiorē vendicat sibi in ea locum actus Intellectus, quàm voluntatis.

XII.

FIde Diuinâ, & Theologico discursu, certum est dari Prædestinationem iuxta prædictam hu-

ius nominis notionem, pro destinatione aliquarum creaturarum ad salutem æternam, ordine durationis, aut æternitatis antecedente ipsas; aut si in vocabulo Prædestinationis particula, Præ, significet ordinem dignitatis seu personarum ad personas; ita vt prædestinati dicantur quasi præ aliis ordinati ad vitam æternam. Si tamen particula Præ designet antecessionem signorum rationis electionis Diuinæ, ad voluntatem conferendi merita & præscientiam meritorum; non est infallibili certitudine certum dari Prædestinationem. Infallibilitas Prædestinationis non est ex aliquibus decretis Physicè prædeterminantibus voluntatem creatam ad vnum, sed ex scientia media aut conditionata.

XIII.

IN omni rationabili de Prædestinatione sententia, etiam ea, quæ admittit Physicas voluntatis creatæ prædeterminationes, admittenda est in Deo aliqua scientia, tùm rerum possibilium vt possibilium, tùm actuum liberorum sub conditione futurorum, ordine rationis an-

tecedens decreta libera Diuinæ voluntatis requisita ad hominum vel Angelorum prædestinationem. Hac scientiâ suppositâ, habuit Deus aliquam voluntatem dandi gloriam prædestinatis, prius ratione quàm decreuerit dare media ad eam consequendam. Habuit etiam voluntatem efficacem dandi ea media, per quæ de facto prædestinati salutem æternam consequuntur: præuidit eos de facto habituros merita, aut media efficacia vitæ æternæ consequēdæ; & propter talia merita præuisa, statuit illis in præmium conferre supernaturalem beatitudinem.

XIV.

PRima creaturarum rationalium ad gloriam electio, potuit esse in Deo, tùm merè gratuita, & omnino independens à meritis præuisis, etiam posito, quod noluisset ipsis de facto conferre gloriam, nisi propter merita, tùm dependens à meritis præuisis & præordinatis. Potuit insuper Deus ex rationalibus creaturis aliquas quidem independenter à meritis, alias autem non nisi propter merita præuisa, ad æternā

ſalutem eligere. Probabiliùs verò eſt Deum de facto merè gratis, & antecedenter ad voluntatem conferendi merita elegiſſe ad gloriam homines, & Angelos qui ſaluantur.

XV.

INter effectus Prædeſtinationis, non ſolùm cenſenda eſt gloria eſſentialis Prædeſtinatorum cum omnibus quæ eam conſequuntur, & donum perſeuerantiæ; ſed etiam gratia ſanctificans, tàm finalis, quàm ea omnis quæ in toto vitæ decurſu habetur: omnes item actus ſupernaturales actualis gratiæ, auxilia, bona inſuper aliqua naturæ, ac mala pœnæ (non tamen culpæ, etiam ſumpta materialiter pro actibus malitiæ morali ſubſtratis) ipſa denique permiſſio peccati, tum in ipſis tum ſæpè in aliis.

XVI.

NVlla omnino ex parte ipſius Prædeſtinati datur cauſa moralis meritoria, vel impetratoria, vel diſpoſitiua Prædeſtinationis, quoad omnes eius effectus collectiuè, vel quoad primũ effectum. Ex parte tamen alicuius alterius, eti-

am puræ creaturæ negari non debet, dari nonnunquam causam aliquo modo meritoriam vel impetratoriam, non quidem respectu omnium Prædestinationis effectuum, sed respectu primi effectus, qui in ipso fit Prædestinato. Datur etiam tum ex parte ipsius Prædestinati, tum ex parte aliorum, meritum respectu aliquorum decretorum Diuinorum exequentium Prædestinationem, non tamen omnium huiusmodi decretorum, & multò minùs decretorum prædefinientium, aut intendentium effectus prædestinationis.

XVII.

DE Fide est dari Reprobationẽ, siue aliquos homines & Angelos esse à Deo reprobatos. Quamuis autem Deus, ex se, & præscindendo à peccatis præuisis, in iis qui damnantur, nullum voluerit positiuè excludere à gloria æterna, habuit tamen Reprobationem negatiuam, aut permissiuam antecedentem ad ipsorum demerita, quâ in eodem signo æternitatis in quo aliquos homines & Angelos specialiter dilexit, & ex mero suo beneplacito efficaciter elegit ad

gloriam, alios non elegit; imò positiuè voluit non eligere, & non habere erga illos specialem prouidentiam, electorum propriam. Præter hos actus Reprobationis negatiuæ habuit Deus circa eosdem reprobos tres alios, pertinentes ad Reprobationem positiuam; videlicet Præscientiam absolutam peccatorum, in reprobis futurorum. Iudicium practicum, aut quasi finalē scientiam de reproborum indignitate ad gloriam, ac demeritis. Absolutum deniq́ue decretum reprobos in æternum puniendi.

XVIII.

EFfectus Reprobationis positiuæ aut punitiuæ, non est permissio peccati, multò verò minus ipsum peccatum; sed sola pœna peccato debita in futura vita, vel quæ cum eadem necessario coniuncta est: Permissiuæ autem aut negatiuæ Reprobationis effectus est, tum permissio peccati, quod punitur in altera vita, tū interdum obduratio, excæcatio, seu reprobus sensus. Datur causa Reprobationis positiuæ, omniumq́ue eius effectuū, ex parte ipsius reprobi. Ea verò est peccatum quodcunque in fine

vitæ non remiſsum, quatenus non remiſſum; ſiue illud Originale, ſiue actuale mortale, aut veniale ſit. Reprobatio negatiua non pendet per ſe à peccato originali, vnde futura fuiſſet etiamſi Adam non peccâſset.

XIX.

DEus Opt: Max: ab æterno voluit ſaluos fieri omnes homines quos creare decreuit, verâ ac propriè dictâ voluntate beneplaciti libera, & aliquo modo efficaci, cuius vi dat omnibus auxilia ad ſalutem aliquatenus ſufficientia etiam reprobis etiam paruulis, aut perpetuò amentibus qui ſine Baptiſmo inculpabiliter à ſe non ſuſcepto ex hac vita decedunt. Cur Deus tàm ex Angelis, quàm hominibus, tot efficaciter elegerit ad gloriam, nō plures nec pauciores; cur item has potius numero quam illas perſonas, nulla poteſt à nobis ex parte Dei aſsignari, nec alia datur ratio præter liberam eius voluntatem? Poſſunt tamen non incongruæ afferri rationes ob quas Deus aliquos ad gloriam elegerit, non autem omnes: imò cur aliquos abſolutè voluerit non eligere.

XX.

PRædeſtinatum ante mortem non iuſtificari & non ſaluari: aut Reprobum non damnari, in ſenſu compoſito impoſsibile eſt, impoſsibilitate comitante aut conſequente, quæ vllo modo præiudicat libertati; vel illi ad peccandum, vel huic ad benè operandum. Liber vitæ notitia Dei eſt, qua firmiter retinet ſe aliquos elegiſſe aut prædeſtinaſſe ad vitã æternam. Vnde etiam non niſi ſecundum rationem aliquo modo à Prædeſtinatione diſtinguitur. Plures abſolutè ex Angelis prædeſtinati quàm reprobati ſunt; ex hominibus autem collectiuè ſumptis quot ab initio mundi fuerunt, ſunt, & erunt, plures ſunt reprobati quàm prædeſtinati.

LAVS DEO BEATISS. VIRGINI.
S. Paulo primo Eremitæ.

Diſputabuntur ab eodem publicè CRACOVIÆ *Anno Dni*, 1621. *Menſe Die Hora.*